



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**


Modus Vigésimus Quartus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



*& Confessores, Roma à Sancti Petri tempore, usq; ad  
Caestinum. Jubilet ergo Deo, omnis terra, & a-  
pud se unusquisque & pendat, quàm irrationabi-  
le & insanum; vitam quam per Christi gratiam  
abundantissimam licet habere, sponte sibi detrahe-  
re, ac imminuere.*



## MODUS VIGESIMUS QUARTUS.

**M**Eminit illius Sixtus Senensis Bibliothecæ  
suæ cap. 2. & P. Carolus Regius Societatis  
nostræ lib. de Inventione Orationis Sacræ: quan-  
do tota concionis supellex, desumitur ex concor-  
dantiis scripturæ hoc modo, ut dicturus Oratio-  
nem, assumpto subjecto sententiæ, vel prædicato,  
vel utroque percurat in Concordantiis similia ver-  
ba, item Synonima, ac etiam aduersa, factaque re-  
flexione ad suum intentum, ex historiis, & senten-  
tiis per Concordantias insinuatis, colligat in unum,  
quæ ad rem faciunt: eliciendo rei assumptæ, defi-  
nitiones, causas, effectus: aut advertendo, ad cir-  
cumstantias, quis, quid, ubi. Sic enim, copiosa, non  
poterit non colligi, dicendi materia; qua in for-  
ma orationis, pro suo placito disponet. Dicã quod  
sentio, Modus hic suggerendæ materiæ est aptus,  
sed prudentiã judiciosã indiget; ne verba secuti,  
multa ineptè congeramus, atque cum de re pluri-  
ma dixerimus, ad rem nihil dicamus; & tædii labo-  
risq;



risq; multum adfert, cum sæpe, innumera verba  
 examinanda se offerunt E. g. si die Paschatis, tri-  
 umphale illud Evangelii præconicum accipiam  
*surrexi* longissimæ centuriæ verborum erunt de-  
 currendæ, sub dictionibus, surgo, resurgo, exurgo,  
 & synonymis harum inclusæ; tum verò ad ordi-  
 nem aliquem revocandæ. Certum tamen interea  
 fit, etiam plurium concionum materiam, hac ra-  
 tione, simul suppeditari posse. Nam, si examinem in  
 Concordantiis *surrexit* in veniam surrexisse Barac.  
 Jud. 14. 4. adversus Sifarã; dicente Deo. *Surge, hac est*  
*enim dies, in qua tradidit Deus Sifarã* in manus tuas,  
 unde ei gloriosè prostravit, & iterum audivit v. 12.  
*Surge Barac & apprehende captivos tuos*, 1. Reg. 17.  
*Cum surrexisset Philistæus, festinavit David, & cu-*  
*currit ad pugnam* 16. *Judicium, Dormivit Samson*  
*ad mediam noctem, & inde consurgens, apprehendit*  
*ambas portas fores cū postibus & sera, imposuitasq; hu-*  
*meris suis, portavit ad verticem montis, qui respicit*  
*Hebron.* En materiam ex quæstione, quomodo  
 surrexit? sufficientem Orationi. Similem dabit  
 Circumstantia Quis, nam si quæram, qui soleant  
 surgere? dicuntur in scriptura, surgere primò hu-  
 miliati, juxta illud Psal. 119. *De Torrente in via bi-*  
*bet, propterea exaltabit caput.* Nam *To exaltabit*, est  
 synonymum verbi *surgit*, & Psal. 19. *Surreximus, &*  
*erecti sumus.* Secundo, *Afflicti* Psal. 126. *Surgite post-*  
*quam federitis qui manducatis panem doloris.* Et  
 1. Esdræ 9. vers. 4. *In sacrificio vespertino, surrexi*  
*de afflictione mea, Tertio, Qui dormierunt*, unde &  
 de Christo Propheta Psal. 3. 2. *Ego dormivi & sopo-*  
 ratus



ratus sum, exurrexi. Quarto succursuri alienis malis  
 Exod. 9. Surge, & descende cito, quia peccavit popu-  
 lus &c. quæ omnia & singula, satis aptè seruiunt  
 seruatori; humiliato, afflicto, surgenti, si rursus ad-  
 huc reflectam. Ad quid, surgitur? legam Gen. 44.  
 iussum surgere famulum Josephi Patriarchæ, ut  
 voluntario, & pio dolore, vocarentur fratres Pa-  
 triarchæ, quorum consortio & maximè Benjami-  
 ni, frui prius frater volebat. Num. 16. 15. Surrexisse  
 Moysen, & abiisse, ac populum abduxisse, à Da-  
 than, & Abiron; ne absorberetur cum illis. Exodi  
 24. v24. surrexisse eundem, ut ascenderet montem,  
 in quo eum operuit Gloria Dei. Jos. 17. Surrexisse  
 se populum ut plecteretur peccatum Achani. 2. Es-  
 dra 2. Surrexisse Esdram, ut provideret Hierosoly-  
 mæ dirutæ. 2. Reg. 3. Surrexisse Abner, ut congre-  
 garet populum ad David 4. Reg. 7. Surrexisse Eli-  
 sæum ut suscitaret Sunamitis filium; qui fines, val-  
 de commodè flecti ad Christi resurrectionem pos-  
 sunt; & multi similes ac potiores, ex plurimis re-  
 stantibus locis deduci, sicut & ex aliis circumstan-  
 tiis ac reflexione supra locos Dialecticos, eorum-  
 que ad ejusmodi dictiones applicatione. Unde sit  
 & mihi ex restantibus.

*PRAXIS.*

In Festo solemnitatis Paschalis

*Surrexit Marci 16.*

**A**ccessus & Propositio. Quando Angelus felix  
 faustumq; Surrexit intonat; quando tota Ec-  
 clesia, lætè illud ingeminat, æquum est ut nos quo-  
 que



que idem cum gaudio promamus. Ut autem tanto promptius Cor linguæ consonet, quid læti, quid fausti, hoc lætum faustumque *Surrexit* ferat, tantisper expendamus.

Confirmatio deduci debet ex occasione dictionis *Surgo* in scriptura variè applicatæ.

Primum itaque, quod felix faustumq; *surrexis* intonat, est victoria Christi, & triumphus de hostibus de quo Psal. 67. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant omnes, qui oderunt eum, à facie ejus.* O quàm frustrà fremuerunt gentes! & quam inania meditati sunt populi! Ecce surgit quem occilum voluerunt, & dissipat inimicos suos. Ubi Mors victoria tua? ubi stimulus tuus inferne! fugit Mors, victus infernus, dissipati custodes sepulchri, dissipata consilia Judæorum, dissipata infidelitas gentium. Triumphus planè est, ait Hilar. lib. 10. de Trinitate, *sepeliri mortuum, sed resurgere Deum: Secundum hominem, pro nobis omnia infirma pati; sed secundum Deum, in his omnibus triumphare* 2. ad Corinth, 5. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Quid ita Beatissime Doctor? Nimirum, in resurrectionis victoria & triumpho, *Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, loquitur Ber. sermone de verbis Apocalypseos, signū Magnum, sed quod affectio Deificata. Tenuit scilicet juxta D. Leon. S. 18. de Passione, disposita mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi Angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris & mortis: sed jam, pergit idem, Totum supplicium,*

*tran-*



transtulit in triumphum: & illum quidem triumphum, in quo solo, auditum sit surrexit, cum anti- quis triumphatoribus, mors potius occineretur, à monitore triumphatori inclamante: *Memento te hominem, id est ex scriptura & sensu, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Alterum, quod surrexit felix, feliciter in tonat, est, Christum surrexisse, ut nos surgamus. Judi. 7. ait Dominus ad Gideon: *Surge & descende in castra;* quo cum descendisset, audita narratione somnii roboratus. *Surgite inquit ad suos, tradidit enim Dominus in manus nostras, Castra Madian:* sicut excitatus Gedeon, excitavit suos; sic Surgens Christus surgere vult nos, de quo Apostolus Eph. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Duplex autem resurrectio à nobis requiritur. De veteri homine, ad novitatem vitæ, & de humilitate spei, ad spem vivam Resurrectionis, ad Roman. 6. *Quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Expectantes utique illud tempus, quando, exultabunt ossa humiliata Psal. 50. In momento scilicet, in illius oculi in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti 1. ad Cor. 16. Quod si quæris cum D. Chrysoft. Ser. 103. *Quæ est ista tuba, qua inferis infert bellum, sepulchri resolvit moles, in tonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem, perpetim dat triumphum!* audies cum eodem, & ab eodem. *Tuba qua in principio mundum vocavit ex nihilo, ipsa in novissimo, Mundum revocabit ex perduto; & qua in initio, hominem suscitavit ex limo; ipsa in fine, homi-*



nem resuscitabit ex pulvere. Credamus ergo, quod  
 Crux, corporis nostri sit aratrum: fides, semen, sulcus,  
 sepulchrum, resolutio germen, expectatio tempus; ut  
 cum ver Dominici adventus arriserit; corporum  
 nostrorum matura tunc viriditas, vitalem resurgat  
 in Messem; nescituram jam sinem, nescituram cani-  
 tiem, non passuram falces, nec flagella sensuram. Ibi-  
 dem Chryso. Tertium quod surrexit felix, feliciter  
 intonat, est surrexisse Christum, ut & mortuis,  
 & vivis dominetur ad Rom. 14. O Regnum fe-  
 lix & augustum! felix; quia Princeps hujus mundi,  
 ejectus forâs, & nos, qui filii antea tenebrarum,  
 nunc filii lucis, & qui servi peccati, nunc liberi in  
 Christo. Augustum; quia nullis clausum terminis,  
 nullis interceptum spatiis, ut in nomine Jesu omne  
 genu flectatur. Canutus Angliæ Rex, apud Chok.  
 in Politic. cum à suis, salutaretur Dominus terræ  
 ac maris, jussit se ad littus tumescentis maris defer-  
 ri, cumque mari imperaret, ut à tumore desisteret,  
 illud autem insolescere pergeret. En; inquit; quam  
 vane me Dominum maris dicitis: cui illud obtempe-  
 rare renuit. Piè omnino ac verè, nec aliter de re-  
 liquis dominiis, dicerent Domini; si quam parum  
 imperio valeat, cogitarent. Non ejusmodi di-  
 minuto jure, sed pleno ac perfecto, surgit Christus,  
 ut Dominetur vivis, & mortuis, atque hunc  
 humiliet, & hunc exaltet, hunc allidat, & hunc ele-  
 vet, hunc vitâ, & hunc morte donet. Imperat  
 infernis ne clausos dimittant, imperat locis purga-  
 torii, ut alios solvant, alios recipiant, imperat cæ-  
 lis, ut electos beent. Agnoscamus, & amemus tan-



tum imperium, ne iterum, per vitia jugo dæmonis  
 subiecti: audiamus 2. Paral. 12. Hæc dicit Domi-  
 nus *Vos reliquistis me, & ego reliqui vos: non jam, ut  
 sciat distantiam, servitutis meæ, & servitutis regni  
 terrarum, sed regni Christi & regni diaboli.*



## MODUS VIGESIMUS QUINTUS.

**U**Nus actus, ad diversa objecta, intentio ad fi-  
 nes, factum ad tempora refertur; ut si de mise-  
 ricordia Dei locuturus; dicas, de misericordia in  
 peccatores, pænitentes, & justos: aut de justitia di-  
 cturus; dicas qualis exerceatur in præfenti, & qua-  
 lis in futura vita. Similiter sententiam illam ten-  
 tatoris in Dominicam 1. Quadrag. *dicite lapides isti  
 panes fiant Matth. 4.* referre posses, ad diversos sta-  
 tus hominum, qui circa jejunium tentantur, V. g. Co  
 ad statum eorum, qui simpliciter à jejunio avocan-  
 tur. His enim persuadere conatur tentator, ita  
 non esse necessarium homini jejunium, sicut non  
 sunt necessarii ventriculo lapides; ut docere au-  
 sus impius Calvinus, contra quem cum Christo  
 tota clamat Ecclesia *Rursum* ad statum eorum,  
 quibus suadet indulgere sibi per dispensationes in-  
 niquè obtentas; aut alio modo in jejunio. A tali-  
 bus enim exigit: ut lapides, panes fiant, hoc est ri-  
 gor temperetur, durities emolliatur. Denique ad  
 statum quibus, aliud cum nequeat persuadere, sua-  
 det